



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ad annum Christi 1563

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118618

§. 105. Hujus clausulæ: Proponentibus Legatis, æquitas a Pontifice vindicata.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66653](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66653)

cus spondebat, quod omnino prohiberet, ne quicquam contra justam & legitimam summi Pontificis Sanctæque Sedis auctoritatem attentetur. (*)

Sæcl. XVI.
A.C. 1563.

§. CV.

Hujus clausulæ: proponentibus Legatis, æquitas a Pontifice vindicata.

Ad hæc Pontifex in publico Patrum confessu die vigesima octava Martii hunc in modum respondit: „Synodum nunquam inchoassem, nisi Regis Catholici patrocinio suffultus fuissem, qui se Concilii Protectorem, ac Sacræ Sedis, ejusque auctoritatis defensorem futurum sponderat: cum autem ante hanc diem Oratorum nullus advenerit, haud mirum videtur Majestati vestræ, quod Hispaniæ Episcopi hucusque Sedis Apostolicæ jura defendere neglexerint; quippe Piscarius Marchio Tridentum vix pedem intulerat, Lunensis vero Comes non nisi ipsius expectatione Patres fatigabat, cum tamen, si Hispaniæ Nationis Orator Sacræ Sedi propensus, ac muneris sui partes adimplere studiosus adfuisset, certe Hispaniæ

Pallav. l. c.
Sarp. l. 7.
pag. 667.

N 4 Præ-

(*) Quantum diversa ab iis, quæ Continuator refert, mandata Rex Catholicus dedit, Lector ex ipso Pallavicino haurire poterit lib. 20. cap. 10. num. 5.

Sæcul XVI.
A.C. 1563.

„Præsules tot disputationes, tantosque
„tumultus excitare minime ausi fuissent.

Postea ad quasdam horum Præsulum querelas respondens, ad illam quoque clausulam, quam Comes Avila suppressi petebat, transiens inquitbat:
„Hæc verba, *proponentibus Legatis*, apposita fuere ab ipsa Synodo, me nec conscio quidem: comprobata tamen sunt consensu generalis conventus, ac postea primæ Sessionis suffragio firmata, duobus tantummodo repugnantibus Prælatibus: reapse tamen si huiusmodi forma servata fuisset, nequam exortæ essent contentiones perquam noxiæ, ob quæstiones non a Legatis, sed ab Episcopis propositas, & ab aliis ideo toleratas, ne in quibusdam ea licentia, quam aliqui appellant libertatem, labefactari diceretur.
„De cetero valde dubius hæreo, an omnes illi, qui pro suo arbitrio cuncta proponendi libertatem sibi concedi tam avidè postulant, mature mala exinde oritura ponderaverint; quamvis enim ex his non desint viri prudentes, atque eruditi, adsunt tamen alii, in quibus ejusmodi dotes desiderantur, ab his vero maximum imminet periculum, nisi remedium opportunatur: attamen mihi forte exinde parum timendum, cum auctoritas mea
Divi-

Sæcul. XVI.
A.C. 1563.

„Divinæ promissioni innitatur: quo-
„circa hæc non adeo me sollicitum red-
„dunt, plus vero Principibus timendum
„erit ob mala, quæ in illos redundare
„possunt: si enim Hispaniæ Episcopis
„immodica tribuitur libertas, forte Re-
„giam suam Majestatem præprimis pœ-
„nitentia subibit, eo quod hi plura privile-
„gia hucusque concessa, ac Regi summo-
„pere proficua revocari postulaturi sint. „

Circa residentiam Papa respondit,
hanc magis a se, quam a quopiam alio
desiderari, adeoque jam fuisse denun-
tatum etiam Cardinalibus Ecclesias
obtinentibus, ut ad eas se conferrent.

Pallav. n. 18.
Et 19.

Quod attinet concedendum Ca-
licis usum, ad hoc reposuit Pontifex,
quod mentem suam desuper explicare
hucusque semper distulerit, eo quod
funesta prævideret mala, quibus sese
Principes exponerent, si certa dare-
tur repulsa: si vero concederetur hic
usus, rursus majora emergerent in-
commoda. Denique suum responsum
absolvit his verbis: nunc vero unice
penes Regiam suam Majestatem reposi-
tum est, ut Synodo promptum, prospe-
rumque exitum procuret, si que ali-
quando me ab ejusmodi curis exem-
ptum videro, omnem a me satis-
factionem Majestas vestra
expectare poterit.

N 5

HISTO-

antosque
fuisse.
Præsu-
d illam
es Avila
quiebat:
tis, ap-
me ne
tamen
ntus, ac
gio fir-
ougnan-
si hu-
nequa-
nes per-
on a Le-
tas, &
quibus-
appel-
ceretur.
an om-
cuncta
concedi
e mala
quam-
ri pru-
tamen
deside-
immi-
oppo-
de pa-
as mea
Divi-

JVX
A.C. 1563
Pallav. n. 18.
Et 19.
Sæcul. XVI.
A.C. 1563.